

Variae lectiones ad „Somnium Scipionis“ e codice Arnstadiensi  
nunc primum vulgatae a Car. Theod. Pabst.

**I**n catalogo librorum, qui in bibliotheca Gymnasii Arnstadiensis asservantur, conficiendo quum singulos libros evolverem, quippe quorum plures, iique varii argumenti, dummodo essent eadem forma, ex more priorum saeculorum in unum conglutinati volumen dissolvendi essent; in extremo volumine librorum Ciceronis de officiis, de senect. et paradox.<sup>1)</sup>, plagulas quatuor manu scriptas inveni, quas quum inspicerem accuratius, Somnium Scipionis in iis exaratum intellexi; cuius varias lectiones communicare cum viris doctis in hac litterarum antiquarum parte versantibus, haud alienum mihi visum est quaerenti argumentum commentationis ad solemnia Examinis Gymnasii nostri indicenda.

Huius autem libri varias lectiones antequam proferam, pauca mihi videntur esse de forma codicis externa, deque tempore, quo conscriptus esse videatur, dicenda.

Est descriptus in charta lintea, forma maxima, sine distinguendi notis, nisi quod pro puncti signo, quod nostra aetate in libris ponere solemus, in codice nostro maiusculae litterae rectis lineolis rubris insignitae enuntiationum initium significant.

Quo saeculo fuerit exaratus liber, id colligere licet ex praefatione, in qua litterarum ductus eandem produnt manum, quae librum, cui praemissa est, videtur descripsisse. Leguntur autem haec in praefationis initio:

---

<sup>1)</sup> Continet hoc volumen: 1.) Persii satyr. cum commentar. Joan. Britannici Brixiani. Venet. per Barthol. Venet. de Ragazonibus. 1492, die XVII Januar. f. — 2.) Petri Marsi interpretat. in off. Cic. Martin. Philothici in Cic. de senect. commentar. Cic. Parad. Venet. per Baptistam de Tortis. 1434. d. XIII. Mart. f.

„Iste est liber de somno Scipionis Marci T. Ciceronis disertissimi oratoris qui Leonhardo Aretino testante princeps latine eloquentie nominatur Ipse siquidem Tullius inter Latinos arcium scriptores solus et unicus est cuius scripta greci admirantes de latino in grecum transferre conati sunt de cuius vita Leonhardus Aretinus luculenter scripserat ubi inter Ciceronis virtuosa <sup>2)</sup> opera hoc unum memoria dignum opposuit qualiter M. C. in vita sua philosophico studio ac oratorio negotio deditus per totius diei spacium... post solis occasum.... consueverat.“

Jam quum Leonh. Aretinum saeculo quinto decimo constet vixisse, codex noster Arnstadiensis hoc saeculo scriptus esse videtur <sup>3)</sup>. Continet sex priora capita et septimum usque ad verba: „in templa penetravit, ita quandoque.“

Ex scribendi autem ratione, quam orthographiam vocant, quum vix dubium sit, quin quo saeculo sit scriptus noster codex definiatur accuratius, ab iis quidem viris doctis qui in legendis codicibus manuscriptis non sunt hospites ac peregrini, operae pretium mihi visum est, orthographiam in codice nostro obviam in conspectum dare. Ac primum quidem de ratione scribendi nomina propria, tum de assimilatione litterarum, quae invenitur in vocabulis cum praepositionibus copulatis, postea de formis quibusdam grammaticis, denique de singulorum quorundam vocabulorum scriptura dicam.

Quum veteres scriptores satis constet non omnia vocabula eodem modo scripsisse <sup>4)</sup> ne eosdem quidem homines in scribendis vocabulis sibi ipsis consensisse, librariorum quis credat aequabilem tenuisse scribendi rationem, qui plerumque suae aetatis orthographiam sequerentur et multas voces aut negligentia et oculorum errore seducti, aut ignorantia et sententia male intellecta obcoecati corrumperent. Itaque nostrum codicem inter variam scribenti rationem fluctuare, neque aequalem per totum librum scripturam diffusam esse nemo mirabitur.

Initiales nominum propriorum litterae in aliis maiusculae in aliis minusculae inveniuntur sic: Annio. Publium. Cornelium. Scipionem. Affricano. Ennius. Carthaginem. Paulum. Cattadupta. Contra: affricam. manlio. massinis-

<sup>2)</sup> Forsitan. virtuosa. Virtuosus enim significat probum, bonis moribus et virtute praeditum. vid. Forcell. lex. Tom. IV. p. 538. ed. Germ. et Krebs Antibarb. s. h. v.

<sup>3)</sup> Leonard. Bruni, a patria urbe, qui mos erat illius saeculi, Aretinus appellatus, natus est anno 1370, mortuus a. 1443. vel 1445. De eius vita et scriptis cf. Bayle diction. sub. n. Aretin. et Schoell Gesch. d. griech. Litterat. übers. v. Pinder. Vol. III, p. 503.

<sup>4)</sup> vid. Reisig's Vorles. üb. lat. Sprachwissenschaft, herausgeb. von Haase. §. 167. → Kritz ad Vell. Pat. pag. CXVIII.

sam. homero. egiptum. siriam. asiam. greciam. numanciam. copitolium. latini. lelius. iovis. veneris. mercury. nilus. rimuli (Romuli). ganeem (Gangem). paulus. c. 14. publi. c. 15.

In assimilatione litterarum plerumque sibi constitisse codicem nostrum videmus, excepto vocabulo: complete (cap. 18); eodem capite legitur: complet, et alio loco per compendium scribitur: cōplexus. At semper: assequi. collacrimabat. illustri. appellantur. aspiciēs. assignatum. accolit. apparatu. Assimilatio negligitur c. 18 in vocibus: in paribus, sine dubio, quia non in unum vocabulum conglutinatae sunt, sed duas efficiunt; per compendium scriptum est; īpulsu.

Ad formas grammaticas pertinet genitivus secundae declinationis vocabulorum in ius et ium exeuntium, et accusativus pluralis tertiae declinationis vocabulorum, quorum genitivus pluralis terminatur in ium. Illum a nostro contra scribendi rationem in Ciceronis <sup>5)</sup> libris usitatam in ii exeuntem reperimus, si quidem terminationem ii, et omnino duplicem ii littera y exprimi in codicibus negari nequit <sup>6)</sup>. Itaque legimus: ingeny consilyque (c. 12.) mercury (c. 17. imperii, c. 16.) — Accusativus pl. III. decl. eorum vocabulorum, quae genitivum in ium exeuntem habent, constanter terminatur in es, ut: omnes; aures.

Per totum librum diphthongi ae et oe tum in vocabulorum initio et fine, tum in mediis vocabulis mutantur cum e, sic: familie nostre. celum. celites. celestes. sepe. sepissime. que. memorie. pene <sup>7)</sup>. egiptum. greciam. etas. queso. evo. cetus. quesivi. cepi. hec. globose. heret. equabiliter. prestantibus. complete. quedam. ceteros.

Ut in hac scriptura, sic in iis vocabulis, in quibus hodie ti sequente vocali littera scribitur, librarium nostrum sibi constitisse videmus, qui pro ti semper scribit ci; excepto: octies. c. 12. Sic: pocius. nocior. numanciam. accepcius. silencio. tocious. lacior. marcium. cogitaciones. vehemencius. iusticiam. temperancia. sencio. eciam. quineciam. paciuntur. concitacior. ebecior <sup>8)</sup>.

Inter mt littera p posita est; consumptus. idēptitem. (c. 18 extr.) <sup>9)</sup>.

Confunduntur litterae f et y; sic infectus pro invectus (c. 11 extr.) — pro-  
vecti pro profecti (c. 13.) — vulgor pro fulgor (c. 17.) — interfallis et in-

<sup>5)</sup> vid. Haase ad Reisig's Vorles. §. 57, annot. 54.

<sup>6)</sup> sic: soey pro socii. (nomin. pl. c. 12.) ingenys. c. 18. — hy (c. 12.) hys. at hiis c. 20; hisque c. 15. Contra i pro y in vocibus peregrinis legitur, sic egiptum. siriam.

<sup>7)</sup> de scriptura pene pro paene vid. Reisig. I. I. p. 283. — <sup>8)</sup> cf. Leop. Schneid. Grammat. lat. I, I. p. 247. — <sup>9)</sup> cf. Reisig. I. I. pag. 282.

tervallis promiscue. (c. 18. 22.) — Duplicantur litterae f. c. s. l. — sic affrica. Africanus. diffinitum. accuta (bis c. 18; sed in eodem capite legitur acute). oceanus (c. 20.) massinissam<sup>10)</sup>. colluerunt pro coluerunt. Contra imo pro immo (c. 14.)<sup>11)</sup>.

Per syncopen a nostro scribuntur: vinclis. sclā (saecula.) oculos pro oculos (c. 18.)<sup>12)</sup>. Ex aliis vocabulis exciderunt litterae: a, c, h, n, ut cocta pro coacta (c. 11.) — exelso pro excelso (ibid.) — ebecior pro hebetior, c. 18., octies pro octiens, c. 12.<sup>13)</sup>; nil semel legitur, plerumque nihil.

His praemissis ad varietatem lectionis accedimus cum iis communicandam, quorum interest nova criticae artis subsidia ad huius Ciceroniani libelli<sup>14)</sup> contextum constituendum cognoscere. Contuli autem librum nostrum cum stereotypa librorum Ciceron. „de republica“ editione quae prodiit Lipsiae ex officina Carol. Tauchnitii.

## Cap. IX. (I)

venisset. male pro venissem, quod reliqui libri ad unum fere omnes exhibent. Anicio manlio consule. In edit. per Baccalarium Martinum Herbipolensem anno 1502 in lucem prolata legitur: A. Manilio consule. In edit. Venet. in officina

<sup>10)</sup> de hoc nomine cf. Leop. Schneider. I. I. p. 440, et quos ibi laudat Drakenb. ad Liv. XXIV, 49. init. Duker. ad Flor. II, 15, 3.

<sup>11)</sup> cf. Hand Tursell. III. p. 218 sqq. et Haase ad Reisig's Vorles. etc. annot. 424. Leop. Schneider. I. I. p. 420.

<sup>12)</sup> haec syncope legitur apud Prud. περὶ στρεφ. X, 592. „sanus videbit, lippus oculos obteget.“ Alii tamen legunt oculos, ita ut quartus iambi senarii pes sit tribrachys. vid. Forcell. — vinclis. vid. Leop. Schneider. I. I. p. 170. Errat Drakenb. ad Liv. III, 56, 4. ubi dicit: „illa enim duarum in unam syllabam contractio potius poetas quam prosaicae orationis scriptores decere videtur.“ Nam, ut alios omittamus, in Taciti scriptis frequentius leguntur formae huius substantivi contractae: vincla, vincolo, vinclis; de quare alio loco ac tempore pluribus disseremus.

<sup>13)</sup> haec numeralia adverbia modo in ies modo in iens terminata inveniri testatur Leop. Schneider. I. 2. p. 457. cf. Kritz. ad Vell. I, 9, 6. II, 56, 2. II, 60, 4.

<sup>14)</sup> Indignum esse Ciceronis ingenio Somnium Scipionis evincere studuit Henr. Kunhardtus in Seebodii bibl. crit. 1820. I. fasc. 6—7. 12. Refutatus est cum ab aliis tum a Mosero in edit. Cic. de rep. libb. pag. 510. tum a C. Beicro in Jahn's Jahrbh. f. Philol. u. Paedag. 1827. Tom. III, 3. pag. 10 sqq.

Erasmiana 1540. 12. „Anitio Manilio consule.“ In interpretatione graeca Max. Planudis apud Hess. <sup>15)</sup> scriptum est: Ἀνιτίου Μαλλίου ὑπατεύοντος, quod ex optimis Cicer. Somnii libris emendavit nuper Brüggemann <sup>16)</sup> in: Μανίῳ Μανιλίῳ ὑπατεύοντι; nam consuli hoc loco scribendum esse, id quod primus Sigonius emendaverat, docet Ochsen-nerus in Cic. Eclog. ed. II. Turici 1828. pag. 295. et Krebs Antibarb. ed. II. §. 23.

convenirem familie nostre. abest regem, quod facile poterat a librario omitti propter antecedentis vocabuli syllabam finalem.

collacrimabat. — ad caelum. Orellius cum plerisque edd. scripsit in caelum. Quum neutra praepositio legatur de nat. deor. II, 2, 4. cum caelum suspeximus, caelestiaque contemplati sumus; ibid. 18, 49. caeli palatum — non suspexit; non minus ad quam in potest esse glossatoris. Nos cum plurimis codicibus tu-earum praepositionem ad, nam praepositionem in aptiorem esse quod locus tantum, nimirum deorum sedes significetur, quo oculos senex converterit, cum Gernhardo <sup>17)</sup> non putaverim.

quia antequam. — in regno meo. ipse recreor. idem ed. Venet. supra laudata; interpr. gr. apud Hess. αὐτὸς ἐγώ; apud Brüggem. αὐτῷ ἐγὼ τῷ ὀνόματι.

invictissimi. ed. Mart. Herbip. iunctissimi; saepe in codicibus vocabula victus et iunctus confundi docet Kritz. ad Vell. II, 46. — Cod. Ufienbach. apud Moserum habet iustissimi; interpr. gr. apud Hess. πρασιτάτου, ap. Brügg. ex latinis emendat. ἀνικητοτάτου.

de regno suo. — percunctatus. rectius percontatus. vid. Herzog. ad Caes. de b. g. V, 13. Kritz. ad Sall. Cat. XL, 2.

ultra citroque habitus.

ille dies nobis consumptus est. idem ed. Mart. Herbip.

## Cap. X.

regio apparatu suscepti. id. ed. M. Herbip. — ὑποδεχθέντες interpr. gr. — Alii libri accepti scribunt; de significatione verbi accipiendi vid. Kritz. ad Sall. Jug. X, 1.

omniaque eius non facta solum sed eius etiam dicta. — in cubitum

<sup>15)</sup> Specimen novae edit. Somnii Scipionis e libr. VI. Cic. de republ. in graecum conversi a Max. Planude. Helmst. 1830. 4. — <sup>16)</sup> M. Tull. Cicer. Somnium Scipionis graece expressum recogn. et emend. additis latinis. Progr. Gymn. Conit. 1840. 4. — <sup>17)</sup> Gernhard. in opuscul. Lips. 1836. pag. 394. — interpr. gr. ἀναβλέψας εἰς αὐρανόν.

— de via fessum et quia ad multa noctem, sic quia pro qui apud Vell. II, 64, cf. Kritz, ad l. l. et eiusdem prolegomena pag. XCIV.

acrior quam solebat somnus. — edit. Orelli artior. — cod. Bern. arcior. Jam satis notum scribas passim in codicibus transposuisse et litteras et syllabas, ut nostro libro acrior pro arcior. Sic in cod. Amerb. labi pro Albi (Vell. II, 106, 3.) suis pro usi (II, 119, 1.); genitio pro negotio (II, 114, 1.) vid. Kritz, prolegg. ad Vell. pag. XCVI.

hic mihi credo ex hoc, ed. M. Herbp. hic ergo mihi (credo equidem ex hoc etc. Signo ( ) inclusa sunt in cod. Arnst. verba: fit enim usque ad: cogitare et loqui.

fit enim sepe, intrp. gr. γίγνεαι γὰρ πολλάκις. — de quo videlicet sepissime, abest videlicet in edit. M. Herbp. — se ostendit ea forma queque ipso erat nocior quem ubi agnovi, sic ubi pro ut in ed. M. Herbp. hasque voces saepius confundi docet Kritz, ad Vell. II, 104, 2.

### Cap. XI. (II.)

Carthaginem, sic omnibus locis. — pene milites hanc ego biennio.

evertas, alii evertes, nam litterae a et e saepe permutantur, sic infra: offendas pro offendes; et c. 14 aspicias pro aspicias.

eritque cognomen id tibi partum, edit. M. Herbp. eritque c. hoc tibi per te partum. — ex nobis hereditarium, idem M. Herbp.

consul triumphum egeris. — delegere iterum absens consul, pro deligere, nam e et i saepe confusae leguntur, vid. Kritz, ad Vell. prolegg. p. LXXXVIII. — De collocatione vocabuli iterum, ut referatur ad absens cf. Gernhard, opusc. pag. 395. Scipioni enim contigit, ut etiam bis absens, vel iterum absens consul fieret.

bellumque mxta imum. — numanciam excindes, ed. M. Herbp. excides; ed. Venet. 1540, excindens. Propter maiorem quandam soni gravitatem et poetici sermonis usum (Virg. Aen. II, 177. XII, 643) nostri loci magnificentiae ac ponderi magis convenire excindes quam excides iudicat Gernhard. l. l. p. 396.

capitolium infectus offendas rempb. consiliis perturbatam nepotis mei, eodem ordine leguntur haec verba apud M. Herbp. nisi quod capitolium et offendes scriptum est; de confusione litterarum a et o vid. Kritz, prolegg. ad Vell. p. XC.

### Cap. XII.

hic rei Affricane. — pate' lumen. — octies solis amfractus. — fatalem fecerint.

atque multa dictator reip. constituas oportet. optimam praebet sententiam haec lectio, neque ea est illi depravationum generi adnumeranda, quod non oculorum errore sed ex sententia male intellecta oritur, de quo pluribus disputat Kritz in prolegg. ad Vell. p. CIV.

hic dum exclamasset Iulius. pro hic cum, sic ap. Vell. II, 6, 6. ad pro ac in cod. Amerb.

exciteris. pro excitetis. — et pax sit rebus. intrpr. gr. ἀλλ' εἰρήνη ἦτω τοῖς πράγμασιν. Locum hunc vexatissimum coniecturis sanare studuerunt viri docti, quas reperies in Gernhard. opusc. p. 399., qui assentitur Bouhierio scribenti: et parumper audite cetera. Brüggemanus libello supra laudato scribendum esse censet: „ne me e somno excitetis et perturbetis; ad confirmandam hanc emendationem provocat ad Cic. Rab. perd. c. 6: „nunquam populus Rom. consulem me fecisset si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur.“ et Verr. II, 3, 37. „haec te vox non perculit? non perturbavit?

### Cap. XIII. (III.)

ad tutandam remp. sic in reliquis codicibus et libris antiquis, (Mart. Herbip. et ed. Venet. 1540.) — Recentiores edd. inde a Graevio maluerunt scribere tutandum, de qua constructione vid. Duker. ad Flor. I, 9, 4. Kritz ad Sall. Cat. IV, 1. Haase ad Reisig. Vorles. pag. 775. annot. 596.

Conservaverint. — in celo diffinitum locum. — perfruuntur. — nihil enim est illi principi, omisso deo. — omnem mundum, abest hunc, sicut in ed. M. Herbip. — hominum ad vivendum iure sociati.

### Cap. XIV.

non tam metu mortis. — ipse et pater paulus. — extinctos arbitramur. id. in ed. M. Herbip. addito esse post extinctos; arbitremur. Venet. 1540. hii vivunt sic. — Herbip. et Venet. — e corpor. vinclis. — evolaverunt. ed. M. Herbip. evolavere. — item tu aspicias.

Paulum patrem. addit M. Herbip. tuum.

quem ut vidi, cum edd. M. Herbip. et Venet.; sic apud Vell II, 104, 2. uti pro ubi. — amplexus cum ed. M. H. et Venet.

### Cap. XV.

nisi enim deus is. — hoc templum est quod cernis, omisso: omne. — istis de corporis, sic haud raro confunditur de et te. cf. Kritz, l. I, p. LXXXVII.

qui terra dicitur. — quos sidera. — circulos subs. — est nobis datus. — defugisse fugiamini. ed. M. Herbp. videamur. — cum magna in parentibus. sine vocabulo sit.

tum in patria mxta ma est, vid. suprac. II. ubi peridem compendium scriptum est: maximum, addita in i virgula. — et ea vita.

### Cap. XVI.

arcus elucens. — urbem lacteum, sic urbis et orbis confunditur apud Vell. II, 124, 1.

omnia mihi contemplanda praeclara. Saepius hoc modo peccasse librariorum, ut proximi vocabuli terminationem alteri adderent, paribusque casibus exararent, quae diversam structuram haberent, pluribus exemplis e cod. Vell. Amerb. ostendit Kritz. I. l. pag. XLV. sic apud Vell. Romani nomini legitur pro Romano nomini; mutinam fugam pro Mutina fugam, equitem peditem pro equite peditem. Sic in nostro codice c. 19. in terris raris pro in terra raris; c. 20. circumfuso illo mari pro circumfusa illo mari.

erant autem haec stelle. sic ed. M. H. — et haec magnitudines. — ultima a celo. id. M. H. — lucebat luce, ed. M. H. luce lucebat. — terrarum magnitudinem.

iam vero ipsa terra. —

quo quasi eius punctum attingimus, haec verba signo ( ) inclusa sunt.

### Cap. XVII.

quam cum eis intuerer; supra scriptum ab altera manu: quam cum magis eis intuerer.

quousque hanc defixa tua, — aspicias. — novem tibi urbibus. ab altera manu super urbibus scriptum est speris. i. e. sphaeris. vid. supra c. 16.

quorum unus celestis est. — in quo sunt infixi. —

cui subiecti septem. omisum: sunt, idem ed. M. Herbp.

contrario motu versus celum. — quam in terris saturninam vocant. quem marcium dicitis. inter lineas ab altera manu: martem.

et temperancia. — soa luce lustret. cum edd. M. Herbp. et Venet.

infra autem iam nihil est Va nisi: hoc quid velit nescire me fateor.

munere deorum hominum generi datos. sic ed. M. Herbp. — sunt omnia eterna. — nutu suo pondera.



## Cap. XVIII. (V.)

sed tamen pro rata parte ratione. — ipsorum orbium efficitur. sic ed. M. Herbp. — ille summus stellifer cursus. ed. M. H. post summus legitur celi. — cum gravissimo autem. — una sede pro ima sede; sic in codd. confunduntur vocabula imus et unus apud Horat. de Art. p. 32. — fere est modus. — veris (sic Tac. Germ. XLI. confunduntur: nervorum et verborum. vid. Orelli symbolae criticae et philolog. in Tacit. German. pag. 31.) imitati sunt atque cantibus. — apparuerunt sibi reditum in hunc locum. ed. M. H. aperuere s. r. in locum; ed. Venet. aperuere s. r. ad h. l. —

colluerunt. — complete aures hominum absorduerunt; in ed. M. Hp. c. a. h. obsurduere. — ebetior sensus in nobis. — ad illa  $\bar{q}$ . Catadupta; ed. M. H. ad illa loca que cataduppa. — tantum oculos. — idēptidem.

## Cap. XIX. (VI.)

inquit scencio. id. edd. M. H. et Venet. semper spectator illa humana contemnit. ed. M. Hbp. illam humanam. — interris raris. vid. supra c. 16. ed. M. Hbp. vides habitari raris et angustis locis. — ubi habitabatur.

sed partim obliquos partim transversos partim etiam adversus nobis stare a quibus spectare certe nullā potes; ed. M. Hbp. sed p. obliquos partimque transversos partim etiam omnes adversos vobis stare a. q. sp. gloriā certe nullam potestis; — ed. Venet. s. p. o. p. versos p. e. a. st. v. a. q. sp. gl. c. n. potestis.

## Cap. XX.

ex quibus. — et celi virtutibus ipsos. — ardore terreri. — nil advestrum genus. — omnis enim que colitur a vobis angustata.

circumfuso illo mari. vid. supra c. 16. — quem oceanum. qui tanto nomine quam sit parvus. — ex hiis ipsis. de discrimine inter his et iis. vid. Kritz. ad Vell. I, 2, 2.

aut cuiusquam nostrum non ut cām hunc quem cernis transcendere potuit ut illum ganeem transnatare.

aut abeuntis solis, pro obeuntis, sic. c. 18. absorduerunt. cf. Orelli ad Horat. od. I, 7, 5.

aut aquilonis ut austrie. — vestra se gloria, qui de nobis loquuntur quam loquuntur diu. in edit. quae prodiit Colon. apud Euchar. Cervicornum 1521. fol. „quam loquentur diu.“

### Cap. XXI. (VII.)

tum propter eluviones, id. ed. M. H. non modo non eternam, id. edd. M. H. et Venet. et ed. Colon. ap. Euch. Cervic.  
 interest ab his. cum edd. M. H. et Ven. —  
 cum ab his. id. edd. M. H. et Ven. —  
 ante nati sunt. cum ed. M. H. —  
 meliores fuerunt. ed. M. H. fuere.

### Cap. XXII.

nomen vestrum potest. — homines enim loquelariter. — unius astri reditum paciuntur.

eandemque potius celi. pro totius caeli. Sic p pro t exhibet cod. Amerbach. Vell. II, 94, 1. primo pro trimo. —

in quo vix audeo dicere. in ed. M. H. legitur: in quo dicere vix audeo. extinguitque visus, omisso est. —

cum rimuli animus hec ipsa in templa penetravit quando ab.

---